


MISSÆ PROPRIÆ
SANCTORUM
ECCLESIAE ET ARCHIDIÆCESIS
GORITIENSIS.



RATISBONÆ, NEO EBORACI ET CINCINNATI.
SUMPTIBUS, CHARTIS ET TYPIS FRÏDERICI PUSTET,
S. SEDIS APOST. ET S. RIT. CONGR. TYPOGRAPHI.
MDCCCLXXXIV.

I m p r i m a t u r .

L a t i s b o n æ , d i e 17 . S e p t e m b r i s 1884 .

M. D a n d l , V i c ā r i u s i n S p i r i t . G e n e r a l i s .

MISSÆ PROPRIÆ SANCTORUM ECCLESIAE ET ARCHIDIOECESIS GORITIENSIS.

Die 1. Decembris.

S. Josaphat Episc. et Mart.
Omnia ut in Missali die 14. Nov.

Die 2. Decembris.

S. Chromatii Episc. Aquil. et Conf.
Missa. Sacerdotes tui. de Comm.
Conf. Pont. 2. loco. Evangel. Vos
estis sal terræ. de Comm. Doct.

Die 9. Decembris.

S. Syri Episc. et Conf.
Missa. Sacerdotes tui. de Comm.
Conf. Pont. 2. loco.

Die 12. Decembris.

S. Barbaræ Virg. et Mart.
Omnia ut in Appendice Missarum
eadem die. Oratio. Intercessio.

Die 18. Decembris.

Expectationis Partus B. M. V.
Missa ut inter festa pro aliquibus
locis eadem die.

Die 26. Decembris.

Pro Commemoratione
Omnium Sanctorum Martyrum.
Oratio.

Deus, qui nos annua omnium san-
ctorum Martyrum tuorum com-
memoratione lætificas: concède pro-
pitiùs; ut quorum gaudemus méri-
tis, accendámur exémpis. Per Dñm.

Secreta.

Oblátis, quæsumus Dómine,
placáre munéribus, et inter-
cedéntibus ómnibus sanctis Mar-
týribus tuis a cunctis nos defénde
perículis. Per Dóminum.

Postcommunio.

Hæc nos commúnio, Dómine,
purget a crimine, et interce-
déntibus ómnibus sanctis Martý-
ribus tuis, coeléstis remédii faciát
esse consórtes. Per Dóminum.

Die 16. Januarii.

S. Titiani Episc. et Conf.
Missa. Státuit. de Communi Conf.
Pont. 1. loco.

Die 23. Januarii.

Desponsationis B. M. V.
Missa ut inter festa pro aliquibus
locis eadem die.

Die 31. Januarii.

Translat. **S. Marci** Evangelistæ.

Introitus. Ps. 138.

Mihi autem nimis honoráti
sunt amíci tui, Deus: ni-
mis confortátus est prin-
cipátus eórum.

Ps. ibid. Dómine, probásti me, et
cognovísti me: tu cognovísti ses-
sionem meam, et resurrectionem
meam. V. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui gloriósa beáti Marci Evangelístæ membra nobis fámulis tuis reveláre dignátus es: concéde propítius; ut qui ejus córporis Translatiónem hódie venerádo cólimus, ipsíus beatitúdini, te concedente, adjúngi mereámur. Per Dóminum.

Léctio Ezechiélis Prophétæ.

Ezech. 1. c.

Similitúdo vultus quátuor animá-
lium: fácies hóminis, et fácies
leónis a dextris ipsórum quátuor:
fácies autem bovis a sinístris ipsó-
rum quátuor: et fácies áquilæ dé-
super ipsórum quátuor. Fácies eó-
rum, et pennæ eórum exténtæ dé-
super: duæ pennæ singulórum jun-
gebántur, et duæ tegébant córpora
eórum: et unumquódque eórum
coram fácie sua ambulábat: ubi erat
ímpetus spíritus, illuc gradiebán-
tur, nec revertebántur, cum ambu-
lárent. Et similitúdo animálium,
aspéctus eórum quasi carbónum
ignis ardéntium, et quasi aspéctus
lampadárum. Hæc erat visio dis-
currrens in médio animálium, splen-
dor ignis, et de igne fulgur egré-
diens. Et animália ibant, et rever-
tebántur in similitúdinem fúlgoris
coruscántis.

Graduale. Ps. 44. Constitues eos
príncipes super omnem terram: mé-
mores erunt nóminis tui, Dómine.
V. Pro pátribus tuis nati sunt tibi
fílii: proptérea pópuli confitebún-
tur tibi.

Allelúja, allelúja.

V. Ps. 138. Nimis honoráti sunt
amíci tui, Deus: nimis confortátus
est principátus eórum. Allelúja.

Post Septuages., omissis Allelúja,
et V. sequenti, dicitur

Tractus. Ps. 125. Qui séminant in
lácrimis, in gaúdio metent.

V. Eúntes ibant et flebant, mittén-
tes sémina sua. V. Veniéntes au-
tem vénient cum exsultatióne, por-
tántes manípulos suos.



Sequéntia sancti Evangélíi se-
cúndum Lucam. Luc. 10.

IN illo témpore: Designávit Dó-
minus et álios septuagínta duos:
et misit illos binos ante fáciem su-
am in omnem civitátem et locum,
quo erat ipse ventúrus. Et dicébat
illis: Messis quidem multa, operárii
autem pauci. Rogáte ergo Dómi-
num messis, ut mittat operários in
messem suam. Ite: ecce, ego mitto
vos sicut agnos inter lupos. Nolíte
portáre sácculum, neque peram, ne-
que calceaménta: et néminem per
viam salutavéritis. In quamcúmque
domum intravéritis, primum dící-
te: Pax huic dómui: et si ibi fúerit
fílius pacis, requiéscet super illum
pax vestra: sin autem, ad vos rever-
tétur. In eádem autem domo mané-
te, edéntes, et bibéntes quæ apud
illos sunt: dignus est enim operá-
rius mercéde sua. Nolíte transíre de
domo in domum. Et in quamcúm-
que civitátem intravéritis, et suscé-
perint vos, manducáte, quæ appo-
núntur vobis: et curáte infirmos,
quí in illa sunt, et dícíte illis: Ap-
propinquávit in vos regnum Dei.

Credo.

Offertorium. Ps. 18. In omnem
terram exívit sonus eórum: et in
fines orbis terræ verba eórum.

Secreta.

His, quæsumus, Dómine, muné-
ribus inténde placátus, et trí-
bue supplicatióne gloriósa Evange-
lístæ tui Marci, nos a peccátis ó-
mnibus absólvi, et coelésti grátia
ditári. Per Dóminum.

Præfatio de Apostolis.

Communio. Matth. 19. Vos qui secuti estis me, sedebitis super sedes, iudicantes duodecim tribus Israël.

Postcommunio.

Refecti vitalibus alimoniis, quæsumus, Domine Deus noster: ut intercedente beato Marco Evangelista tuo, quod ore sumpsimus, pura mente capiamus. Per Dominum nostrum.

Feria III. post Dominicam Septuag.

Orationis D. N. J. C.

Missa ut inter festa pro aliquibus locis eadem feria.

Feria III. post Dominicam Sexages.

Commemorationis Passionis
D. N. J. C.

Missa ut inter festa pro aliquibus locis eadem feria.

Die 3. Februarii.

S. Blasii Episc. et Mart.

Missa. Stáuit. de Comuni unius Mart. Pont. 1. loco, præter sequ.

Oratio.

Deus, qui beatum Blásium Mártirem tuum atque Pontíficem in suis perferendis suppliciis, et in aliorum depellendis infirmitatibus admirabilem effecisti: concède propitius; ut illius et in fide constantiam imitemur, et in periculis patrocinia sentiamus. Per Dñm.



Sequéntia sancti Evangélíi secúndũ Matthæum. Matth. 10.

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Cum persequen-
tur vos in civitate ista, fugite in aliam. Amen dico vobis, non consummabitis civitates Israël, donec veniat Filius hominis. Non est discipulus super magistrum, nec ser-

vus super dominum suum. Sufficient discipulo, ut sit sicut magister ejus: et servo, sicut dominus ejus. Si patremfamilias Beelzebub vocaverunt: quanto magis domesticos ejus? Ne ergo timeatis eos: nihil enim est opertum quod non revelabitur; et occultum quod non sciatur. Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: et quod in aure auditis, prædicite super tecta. Et nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. Sed potius timeate eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam.

Die 6. Februarii.

S. Anastasiæ Martyris.

Missa. Me exspectaverunt. de Com. Mart. non Virg. cum sequ. Orat.

Oratio.

Omnipotens sempiternus Deus, qui beatam Anastasiam Mártirem tuam in flammis tibi canentem glorioso coronasti triumpho: concède; nos ejus intercessione caritatis igne ita incendi in terris, ut in cœlis tuas laudes perpétuo canere mereamur. Per Dominum.

Deinde fit commem. S. Dorotheæ Virg. et Mart.

Die 8. Februarii.

S. Juventii Episc. et Conf.

Missa. Stáuit. de Comuni Conf. Pont. cum sequ. Orat. propria.

Oratio.

Adjuvet familiam tuam, quæsumus Domine, sancti Confessoris tui atque Episcopi Juventii intercessio gloriosa, ut pius exorator evadat, qui tui nominis egregius existit prædicator: Qui vivis et regnas.

Die 9. Februarii.

S. Paulini Patriarchæ Aquilejens.
Missa. Státuit. de Communi Conf.
Pont. 1. loco.

Die 11. Februarii.

Bb. Septem Fundatorum
Ordinis Serv. B. M. V.

Missa. Gaudeámus. ut in Appen-
dice Missarum eadem die.

Die 14. Februarii.

S. Zoili Confessoris.

Missa. Os justi. de Coñuni Conf.
non Pont. 1. loco. Et fit commem.
S. Valentini Presb. et Mart. ut in
Missali hac die.

Die 16. Februarii.

S. Julianæ Virg. et Mart.

Missa. Loquébar. de Comm. Virg.
et Mart. 1. loco, præter Orat. sequ.
Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus,
qui infirma mundi éligis, ut
fórtia quæque confúndas: concéde
propítius; ut qui beátæ Juliánæ Vir-
ginis et Mártiris tuæ solémnia có-
limus, ejus apud te patrocínia sen-
tiámus. Per Dóminum.

Die 17. Februarii.

Ss. Chrysantiani et Soc. Mart.

Missa. Sapiéntiam. de Communi
plurim. Mart. 2. loco.

Die 19. Februarii.

S. Juliani de Bono Albergo Conf.
Missa. Justus ut palma. de Coñ.
Conf. non Pont. 2. loco.

Die 20. Februarii.

S. Titi Episc. et Conf.

Missa. Státuit. ut in Missali die
6. Februarii.

Die 21. Februarii.

S. Cyrilli Episc. Alexandr. Conf.
et Eccl. Doct.
Ut in Missali die 9. Februarii.

Die 23. Februarii.

S. Margaritæ de Cortona
Pœnitent.

Missa. Cognóvi. ut inter Festa pro
aliqu. locis die 26. Febr.

Feria VI. post Cineres.

Ss. Spineæ Coronæ D. N. J. C.

Missa ut inter festa pro aliquibus
locis eadem feria.

Feria VI. post Dom. I. Quadrag.
Ss. Lanceæ et Clavorum D. N. J. C.

Missa ut inter festa pro aliquibus
locis eadem feria.

Feria VI. post Dom. II. Quadrag.
Ss. Sindonis D. N. J. C.

Missa ut inter festa pro aliquibus
locis eadem feria.

Feria VI. post Dom. III. Quadrag.
Ss. quinque Vulnerum D. N. J. C.

Missa ut inter festa pro aliquibus
locis eadem feria.

Feria VI. post Dom. IV. Quadrag.
Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C.

Missa. Redemísti. ut Dominica
I. Julii. Et fit comm. Feriæ, cujus
Evang. legitur in fine.

Die 3. Martii.

Ss. Agapis et Soc. Virg. et Mart.

Missa. Loquébar. de Comm. Virg.
et Mart. 1. loco. Orationes de plur.
Virg. et Mart. Epistola. De virgi-
nibus. ex Missa. Vultum tuum. de
Comm. Virg. 2. loco.

Die 16. Martii.

Ss. Hilarii Episc. et Tatiani Diac.
Martyrum S. Metropolitanæ Eccl.
et Civitatis Goritienſis Patron.

Missa. Intret. de Comm. plurim.
Mart. 1. loco, cum Credo, et Ora-
tione sequ.

Oratio.

Beatórum Mártyrum Hiláarii E-
píſcopi, et Tatiáni Diáconi nos,
quæsumus, Dómine, festa tueántur:
et eórum comméndet orátio vene-
ránda. Per Dóminum.

Die 20. Martii.

Ss. Felicis, Largi et Dionysii
Martyrum.

Missa. Salus. de Coñuni plurim.
Mart. 3. loco. Evang. Descéndens.
ex Missa. Sapiéntiam. de eodem
Communi 2. loco.

Die 24. Martii.

S. Gabrielis Archangeli.

Missa. Benedícite. ut inter festa
pro aliqu. locis die 18. Martii.

Die 3. Aprilis.

S. Abundii Episc. et Conf.

Missa. Sacerdótes tui. de Comm.
Conf. Pont. 2. loco.

Die 17. Aprilis.

S. Liberalis Confessoris.

Missa. Os justi. de Coñuni Conf.
non Pont. 1. loco cum Orat. sequ.

Oratio.

Deus, qui nos beáti Liberális
Confessóris tui glorióso pa-
trocinio circúmdas et prótegis: con-
céde propítius; ut cujus interces-
sione munímur in terris, ejus quo-
que consórtio perfruámur in cœlis.
Per Dóminum.

Die 24. Aprilis.

In Inventione

Corporum Ss. Cantii et Soc. Mart.

Missa. Sancti tui Dómine. de Coñ.
plurim. Mart. temp. pasch. Extra
temp. pasch. Sapiéntiam sanctórum.
de Comm. 2. loco, cum Orat. sequ.

Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus,
qui hodiérna die membra san-
ctórum Mártyrum tuórum Cántii,
Cantiáni, Cantianíllæ, Chrysógoni,
Anastásia, et Proti nobis fámulis
tuis reveláre dignátus es: concéde
propítius; ut qui eórum Cóporum
Inventiónem hódie venerádo cóli-
mus, ipsórum beatitúdini, te con-
cedénte, adjúngi mereámur. Per
Dóminum nostrum.

Secreta.

His, quæsumus Dómine, muné-
ribus inténde placátus: et tri-
bue supplicatióne beatórum Már-
tyrum tuórum Cántii, Cantiáni,
Cantianíllæ, Chrysógoni, Anastá-
sia, et Proti, nos a peccátis ómni-
bus absólvi, et coelésti grátia ditári.
Per Dóminum.

Postcommunio.

Refecti vitálibus alimóniis, quæ-
sumus Dómine Deus noster:
ut intercedéntibus sanctis tuis Cán-
tio, Cantiáno, Cantianílla, Chrysó-
gono, Anastásia, et Proto, quod
ore sumpsimus, purá mente capiá-
mus. Per Dóminum.

Die 27. Aprilis.

S. Fidelis a Sigmaringa Mart.

Missa. Protexísti. ut in Missali
die 24. Aprilis.

Die 11. Maji.

S. Sigismundi Regis Mart.

Missa. Protexísti. de Coñ. unius
Mart. temp. pasch. præter Orat. seq.

Oratio.

Deus, qui beátum Sigismúndum Regem temporáli et ætérno diadémate cum desideráta martýrii coróna honoráre dignátus es, et ejus reliquias ex profúndo gúrgite aquárum ad celebrándum fidélibus revelásti: tribue, quæsumus; ut qui ejus mérita venerámur in terris, ipsíus intercessióne ab ómnibus protegámur advérsis. Per Dóminum nostrum.

Secreta.

Concède, quæsumus Rex ætérne, ut hujus sacrificii munus oblátum, intervéntu sancti Sigismúndi Regis et Mártyris, fragilitátem nostram ab omni adversitaté semper prótegat et múniat. Per Dóminum nostrum.

Postcommunio.

Puríficent nos, quæsumus omnipotens Deus, tua percépta sacraménta, et intercessióne beáti Sigismúndi Regis et Mártyris tui, ab omni malo expiátos, tibi nos redant accéptos. Per Dóminum.

Die 14. Maji.

Ss. Victoris et Coronæ Mart.

Missa. Sancti tui. de Communi plurim. Mart. Temp. Pasch., præter Orationem sequi.

Oratio.

Deus, qui nos concédís sanctórum Victóris et Coronæ Mártyrum natalítia recólere: præsta, quæsumus; ut quorum patrocínio gloriámur, fidei constántiam imitémur. Per Dóminum.

Secreta et Postcommunio, 2. loco.

Et fit commemoratio S. Bonifacii Martyr.

Die 16. Maji.

S. Joannis Nepomuceni Mart.

Missa. Dedit mihi. ut inter festa pro aliqu. locis eadem die.

Die 17. Maji.

S. Maximæ Virginis.

Missa. Dilexísti. de Comm. Virg. 1. loco.

Die 21. Maji.

S. Felicis a Cantalicio Conf.

Missa. Dóminus paúperem. ut inter festa pro aliqu. locis eadem die.

Die 29. Maji.

S. Maximi Episc. et Mart.

Missa. Sacerdótes Dei. de Comm. unius Mart. Pont. 2. loco.

Die 30. Maji.

Inventionis Manus Dexteræ

S. Stephani Regis.



Introitus. Ps. 72. 23.

Enuísti manum dexteram meam, et in voluntáte tua deduxísti me, et cum glória suscepísti me.

Ps. 40. Beátus qui intélligit super egénium, et paúperem, in die mala liberábit eum Dóminus.

V. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui es Sanctórum tuórum splendor mirábilis, quique hodiérna die beáti Stéphaní Regis, et Confessóris tui gloriósam Dexteram revelásti, da nobis fámulis tuis de ejus semper protectióne gaudére. Per Dóminum.

Deinde fit cõmemoratio S. Felicis Papæ et Mart. Orationes ex Missa. Státuit. de Communi unius Mart. Pont. 1. loco.

Lectio libri Tobiae. Cap. 4.

Omnibus diebus vite tue in mente habeto Deum, et cave, ne aliquando peccato consentias, et pratermittas precepta Domini Dei nostri. Ex substantia tua fac eleemosynam, et noli avertere faciem tuam ab ullo paupere; ita enim fiet, ut nec a te avertatur facies Domini. Quo modo potueris, ita esto misericors: si multum tibi fuerit, abundanter tribue; si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude. Præmium enim bonum tibi thesaurizas in die necessitatis, quoniam eleemosyna ab omni peccato, et a morte liberat, et non patietur animam ire in tenebras. Fiducia magna erit coram summo Deo eleemosyna omnibus facientibus eam.

Graduale. Isai. 58. Frange esurienti panem tuum, et egenos, vagosque induc in domum tuam.

V. Cum videris nudum, operi eum, et carnem tuam ne despexeris.

Alleluya, alleluya.

V. ibid. Tunc erumpet quasi mane lumen tuum, et gloria Domini coliget te. Alleluya.

Tempore Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur:

Alleluya, alleluya.

V. Ps. 40. Beatus, qui intelligit super egenum, et pauperem, in die mala liberabit eum Dominus. Alleluya.

V. Ps. 36. Tota die miseretur, et commodat. Semen illius in benedictione erit. Alleluya.

 Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam. Luc. 12. d.

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri

vestro dare vobis regnum. Vendite, quæ possidetis, et date eleemosynam. Facite vobis sacculos, qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in coelis, quo fur non appropriat, neque tinea corrumpit. Ubi enim thesaurus vester est, ibi et cor vestrum erit.

Offertorium. Ps. 111. Dispersionem dedit pauperibus: justitia ejus manet in sæculum sæculi: cornu ejus exaltabitur in gloria.

Secreta.

Munera tibi, Domine, nostræ devotionis offerimus, quæ et pro sancti Stephani Regis, et Confessoris tui tibi grata sint honore, et nobis salutaria te miserante redantur. Per Dominum.

Commem. S. Felicis Pap. et Mart.

Communio. 2. Corinth. 9. Qui administrat semen seminanti, et panem ad manducandum præstabit, et augēbit incrementa frugum justitiæ ejus.

Postcommunio.

Sumpsimus, Domine, coelestia sacramenta, beati Stephani Regis, et Confessoris tui solennia celebrantes: præsta, quæsumus; ut ipso intercedente, quod temporaliter gessimus, æternis gaudiis consequamur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat.

Commem. S. Felicis Pap. et Mart.

Die 31. Maji.

Ss. Cantiani, Cantii et Cantianillæ Fratrum Martyrum.

Missa. Sancti tui, Domine. de Com. plurim. Mart. temp. pasch.; extra temp. pasch. Sapientiam sanctorum, de Comuni. 2. loco, præter sequ.

Oratio.

Præsta, quæsumus omnipotens Deus: ut pópulus tuus ad plenæ devotiõnis afféctum beátorum Mártyrum Cantiáni et Sociórum ejus natalítiis præparétur: et eórum patrocínio promerénte, beátæ cápiat securitátis augméntum. Per Dñm.

Ultimus V. Grad. Hæc est vera fraternitas, quæ vicit mundi crimina: Christum secúta est, inclýta tenens regna coeléstia. Allelúja.

Temp. pasch. Secreta et Postcom. 2. loco.

Die 3. Junii.

S. Quirini Episc. et Mart.

Missa. Sacerdótes Dei. de Comm. unius Mart. Pont. 2. loco.

Die 6. Junii.

S. Bertrandi Patriarchæ Aquilej. Confessoris.

Missa. Sacerdótes tui. de Comm. Conf. Pont. 2. loco, præter sequ. propr.

Oratio.

Deus, qui beátum Bertrándum pro Ecclésiæ suæ júribus ad mortem usque certántem invícta pastoráli fortitúde roborásti: præsta fidélibus tuis; ut ad pietátis et religiõnis constántiam ejúsdem informéntur exémpis. Per Dñm.

Secreta.

Sacra dona, quæ tibi, Dómine, reverénter offerimus in commemoratione beáti Bertrándi, Ecclésiæ tuæ libertátem tueántur et pacem, et sanctificatiõnis nostræ increménta promóveant. Per Dóminum.

Postcommunio.

Præsta quæsumus, omnipotens Deus, ut in honórem beáti Bertrándi celebráta mystéria ejus virtutum imitatóres, et tua protectiõne nos dignos efficiant. Per Dñm.

Die 8. Junii.

In Commemoratione **Sanctorum**, quorum Reliquiæ in S. Metropolit.

Eccl. Goritiensi asservantur.

Missa. Sapiéntiam sanctorum. de Communi plurim. Mart. præter ea, quæ hic habentur propria.

Oratio.

Auge in nobis, Dómine, resurrectiõnis fidem, qui in Sanctorum tuorum Reliquiis mirabilia operáris: et fac nos imortális glóriæ partícipes, cujus in eorum cineribus pignora venerámur. Per Dñm.

Secreta.

Implorámus, Dómine, cleméntiam tuam: ut Sanctorum tuorum, quorum Reliquias cólimus, suffragántibus méritis, hóstia, quam offerimus, nostrórum sit expiatio delictórum. Per Dóminum.

Postcommunio.

Multiplica super nos, quæsumus, Dómine, misericórdiam tuam: ut sicut in tuorum solemnitate Sanctorum, quorum Reliquias cólimus, pia devotiõne lætámur, ita eorum perpétua societáte, te largiënte fruámur. Per Dóminum.

Temp. paschali. Missa. Sancti tui. de eodem Communi temp. Pasch. cum Orat. supra positis.

Die 16. Junii.

Ss. Felicis et Fortunati Mart.

Introitus. Ps. 36.



Alus autem justórum a Dómino: et protéctor eórum est in témpore tribulatiõnis.

Ps. ib. Noli æmulári in malignántibus: neque zeláveris faciéntes iniquitatem. V. Glória Patri.

Oratio.

Adésto, quæsumus Dómine, fide-
libus tuis, nec ullis mentis et
córporis sinas subjacére periculis,
quos beatórum Mártyrum tuórum
Felícis et Fortunáti munit gloriósa
conféssio. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli
ad Hebræos. Hebr. 10. f.

Fratres: Rememorámini prísti-
nos dies in quibus illumináti,
magnum certámen sustinuístis pas-
sionum: et in áltero quidem, op-
próbbriis et tribulationibus spectá-
culum facti: in áltero autem sócii
táliter conversántium effécti. Nam
et vinctis compássi estis, et rapí-
nam bonórum vestrórum cum gaú-
dio suscepístis, cognoscéntes vos
habére meliorem et manéntem sub-
stántiam. Nolíte itaque amittere
confidéntiam vestram, quæ magnam
habet remuneratióem. Patiéntia
enim vobis necessary est, ut vo-
luntátem Dei faciéntes, reportéti
promissionem. Adhuc enim módi-
cum aliquántulum, qui ventúrus
est, véniet, et non tardábit. Justus
autem meus ex fide vivit.

Graduale. Ps. 33. Clamavérunt
justi, et Dóminus exaudivit eos: et
ex ómnibus tribulationibus eórum
liberávit eos. V. Juxta est Dóminus
his, qui tribuláto sunt corde: et hú-
miles spírítu salvábit.

Allelúja, allelúja.

V. Hæc est vera fraternitas, quæ
vicit mundi crimina: Christum se-
cúta est ínclýta tenens regna cœ-
léstia. Allelúja.

 Sequéntia sancti Evangélíi se-
cúndum Lucam. Luc. 10. c.

IN illo témpore: Dixit Jesus di-
scípulis suis: Qui vos audit, me
audit, et qui vos spernit, me sper-

nit. Qui autem me spernit, spernit
eum, qui misit me. Révèrsi sunt
autem septuaginta duo cum gaúdio,
dicéntes: Dómine, étiam dæmónia
subjiciúntur nobis in nómine tuo.
Et ait illis: Vidébam sátanam sicut
fulgur de cœlo cadéntem. Ecce dedi
vobis potestátem calcándi supra
serpéntes, et scorpiones, et super
omnem virtútem inimíci: et nihil
vobis nocébit. Verúmtamen in hoc
nolíte gaudére, quia spírítus vobis
subjiciúntur: gaudéte autem, quod
nómina vestra scripta sunt in cœlis.

Offerforium. Sap. 3. Justórum áni-
mæ in manu Dei sunt, et non tanget
illos torméntum malítiæ: visi sunt
óculis insipientium mori, illi autem
sunt in pace, allelúja.

Secreta.

Hóstias, Dómine, quas nómini
tuo sacrándas offerimus, san-
ctórum Mártyrum tuórum Felícis
et Fortunáti prosequátur orátio, per
quam nobis expiári tríbuas, et de-
féndi. Per Dóminum.

Communio. Matth. 10. Quod dico
vobis in ténebris, dicite in lúmine,
dicit Dóminus: et quod in aure au-
dítis prædicáte super tecta.

Postcommunio.

Recreáti sacris munéribus, quæ-
sumus Dómine, ut non indí-
gne suméntibus vertántur ad pœ-
nam, sed intercedéntibus sanctis
Martyribus tuis Felíce et Fortuná-
to, fidélibus prosint ad véniam. Per
Dóminum.

Die 17. Junii.

Ss. Cyriacæ et Muscæ Virg. et
Martyrum.

Missa. Loquébar. de Comm. Virg.
et Mart. Orationes de Comm. plur.
Virg. et Mart. Epist. De virgínibus.

Die 18. Junii.

S. Proti Martyris.

Missa. In virtúte. de Comm. unius Mart. non Pont. 2. loco. Evang. Si quis vult. ex Missa. Sacerdotes Dei. de Coñ. unius Mart. Pont. 2. loco.

Die 19. Junii.

S. Nazarii Episc. et Conf.

Missa. Státuit. de Communi Conf. Pont. 1. loco.

Die 22. Junii.

S. Niceæ Episc. et Conf.

Missa. Sacerdotes tui. de Comm. Conf. Pont. 2. loco.

Dominica III. post Pentecosten.

Apparitio et Coronatio

B. Mariæ Virginis

Montis Sancti prope Goritiam.

Missa. Salve. votiva a Pent. usque ad Advent. Dicitur Credo. Præf. de B. Maria. Et te in Festivitate.

Die 27. Junii.

S. Vigili Episc. et Mart.

Missa. Sacerdotes Dei. de Comm. unius Mart. Pont. 2. loco, præter Orat. sequ. Oratio.

Deus, qui hunc diem nobis beati Vigili Martyris tui, atque Pontificis sanguine consecrasti: da quæsumus; ut ejus méritis ab omnibus ^{memoramus} semper adversis defensi, æternæ vitæ præmia consequamur. Per Dóminum.

Et fit coñem. Octav. S. Joannis.

Die 29. Junii.

In Festo Ss. Apost. Petri et Pauli.

Pro Commem. Oo. Ss. Apostol.

Oratio.

Da, quæsumus, omnipotens Deus, ut beatórum Apostolórum

tuórum, quorum hódie Commemorationem cólimus, veneránda solénnitas, et devotiónem nobis aúgeat et salútem. Per Dóminum.

Secreta.

Apostólici reveréntia cúlminis offeréntes tibi sacra mystéria, Dómine, quæsumus, ut beatórum Apostolórum tuóru suffrágiis plebs tua semper et sua vota deprómat, et desideráta percípiat. Per Dñm.

Postcommunio.

Sanctórum Apostolórum tuórum, quæsumus Dómine, supplicatiónem placátus, et véniam nobis tríbue, et remédia sempitérna concede. Per Dóminum.

Die 3. Julii.

Ss. Processi et Martiniani Mart.

Missa. Sapiéntiam. de Communi plurim. Mart. 2. loco. Orationes ut heri in Missali. Epist. Rememorámini. Evang. Si quis vult.

Die 4. Julii.

S. Udalrici Episc. et Conf.

Missa. Sacerdotes tui. de Comm. Conf. Pont. 2. loco.

Die 7. Julii.

Ss. Achatii et Soc. Mart.

Missa. Sapiéntiam. de Communi plurim. Mart. 2. loco.

Die 11. Julii.

Commemoratio Vigiliæ

Ss. Hermagoræ et Fortunati Mart.

Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, da nobis sanctórum Mátyrum tuórum Hermágoræ et Fortunátí précibus adjuvári: ut quorum festa prævenímus, eórum auxílium capíamus. Per Dóminum.

Secreta.

Múnera, Dómine, quibus tuum cumulámus altáre: da quæsumus, ut ad salutem nostram beatórum Mártýrum tuórum Hermágoræ et Fortunáti precatíone proficiant, quorum solémnia percúrrimus. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum vivit et regnat.

Postcommunio.

Magnífica, Dómine, beatórum Mártýrum tuórum Hermágoræ et Fortunáti solémnia recenséntes, quæ promptis córdibus ambiéntes, et suscipimus et prævenimus. Per Dóminum.

In fine Missæ legatur sequ. Evang.

 Sequéntia sancti Evangélíi secúndum Joánnem. Joań. 15.

IN illo témpore: Dixit Jesus discipulis suis: Ego sum vitis vera, et Pater meus agricola est. Omnem pálmitem in me non feréntem fructum, tollet eum: et omnem qui fert fructum, purgábit eum, ut fructum plus áfferat. Jam vos mundi estis propter sermónem, quem locútus sum vobis. Manéte in me, et ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum a semetípso, nisi mánserit in vite: sic nec vos, nisi in me manséritis. Ego sum vitis, vos pálmities: qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potéstis fácere. Si quis in me non mánserit, mittétur foras sicut palmes, et aréscet, et cólligent eum, et in ignem mittent, et ardet. Si manséritis in me, et verba mea in vobis mánserint: quodcúmque voluéritis petétis, et fiet vobis.

Die 12. Julii.

Ss. Hermagoræ Episc. et Fortunati
Diac. Mart.

Dioecesis Goritiensis Patronorum.

Missa. Intret. de Coñuni plurim.
Mart. 1. loco.

Oratio.

DEus, qui nos hodiérna die beatórum Mártýrum tuórum Hermágoræ et Fortunáti múltiplici facis celebritáte gaudere: tribue, quæsumus, eórum nos semper piis defensiónibus muníri, et oratiónibus adjuvári. Per Dóminum.

Secreta.

Múnera humilitátis nostræ, quæ pro sanctórum Mártýrum tuórum Hermágoræ et Fortunáti gloriósa passióne et solemnitáte offérimus, quæsumus, Dómine, cleméntiam tuam, respícere dignáre: et ipsórum intercessióne, tam ad prófectum vitæ, quam animæ, salutária nobis consuéta miseratíone proveníre concéde. Per Dóminum.

Postcommunio.

Suméntes, Dómine, coeléstia dona mystérii, quæsumus: ut sanctórum tuórum Hermágoræ et Fortunáti adjuvémur méritis, quorum solemnitátem celebrámus. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum.

Die 13. Julii.

Dedicatio Basilicæ S. Mariæ Aquil.

Missa. Terríbilis. de Coñ. Anniversarii Dedicat. Ecclesiæ. Dicitur Credo.



Die 15. Julii.

Divisionis Apostolorum.

Introitus. Ps. 88.

Domine, in lumine vultus tui ambulábunt, et in nómine tuo exsultábunt tota die, et in justítia tua exaltabúntur, quóniam glória virtútis eórum tu es.

Ps. 46. Omnes gentes, plaúдите mánibus, jubilate Deo in voce exsultationis. V. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui hodiérna die in omnem terram tuórum verba Apostólorum ad Géntium vocationem exíre fecísti: da nobis, quæsumus, et fide et ópere eórum serváre vestigia, quorum doctrínis sanctæ Ecclésiæ cónstitit orígo. Per Dóminum.

Lectio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Romános. Rom. 10.

Fratres: Corde enim créditur ad justítiam: ore autem conféssio fit ad salútem. Dicit enim Scriptúra: Omnis, qui credit in illum, non confundétur. Non enim est distinctio Judæi, et Græci: nam idem Dóminus ómnium, dives in omnes, qui invocant illum. Omnis enim, quicúmque invocáverit nomen Dómini, salvus erit. Quómodo ergo invocábunt, in quem non credidérunt? Aut quómodo credent ei, quem non audiérunt? Quómodo autem audient sine prædicánte? Quómodo vero prædicábunt, nisi mittántur? sicut scriptum est: Quam speciósi pedes evangelizántiũ pacem, evangelizántium bona! Sed non omnes obédiunt Evangélio. Isaías enim dicit: Dómine, quis crédidit auditui nostro? Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi. Sed dico: Numquid non audiérunt? Et

quidem in omnem terram exívit sonus eórum, et in fines orbis terræ verba eórum.

Graduale. Ps. 41. Constitúes eos principes super omnem terram: méiores erunt nóminis tui, Dómine. V. Pro pátribus tuis nati sunt tibi filii, proptérea pópuli confitebúntur tibi.

Allelúja, allelúja.

V. Nimis honoráti sunt amíci tui, Deus: nimis confortátus est princípatus eórum. Allelúja.



Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 10.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Nolíte portáre sácculum, neque peram, neque calceaménta, et néminem per viam salutavéritis. In quamcúmque domum intravéritis, primum dícite: Pax huic dómui: et si ibi fúerit filius pacis, requiescét super illum pax vestra: sin autem, ad vos revertétur. In eádem autem domo manéte edéntes et bibéntes, quæ apud illos sunt: dignus est enim operárius mercéde sua. Nolíte transíre de domo in domum. Et in quamcúmque civitátem intravéritis, et suscepérint vos, manducáte, quæ apponúntur vobis, et curáte infirmos, qui in illa sunt, et dícite illis: Appropinquávit in vos regnum Dei. In quamcúmque autem civitátem intravéritis, et non suscepérint vos, exeúntes in platéas ejus dícite: Etiam púlverem, qui adhæsit nobis de civitáte vestra, extérgimus in vos: tamen hoc scitóte, quia appropinquávit regnum Dei.

Credo.

Offertorium. Luc. 10. Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me

spernit. Qui autem me spernit, spernit eum, qui misit me.

Secreta.

Perpétuam, Dómine, sanctorum Apostolorum glóriam venerantes, quæsumus: ut eam sacris mysteriis expiati, dignius semper celebrare valeamus. Per Dóminum.

Præfatio de Apostolis.

Communio. Isai. 52. Quam pulchri super montes pedes annuntiantis, et prædicantis pacem: annuntiantis bonum, prædicantis salutem, dicentis Sion: regnabit Deus tuus.

Postcommunio.

Percéptis, Dómine, sacramentis, suppliciter exoramus, ut intercedentibus beátis Apóstolis tuis, ad medelam nobis proficiant, quæ pro illorum veneranda gerimus solemnitate. Per Dóminum.

Die 19. Julii.

Octava **Ss. Hermagoræ et Fortunati** Martyrum.

Missa ut in festo.

Die 24. Julii.

S. Christinæ Virg. et Mart.

Missa. Loquébar. de Comm. Virg. et Mart. præter Orat. sequ.

Oratio.

Omnípotens sempitérne Deus, qui infirma mundi éligis, ut fórtia quæque confúndas: concéde propítius; ut qui beátæ Christinæ Virginis et Mátyris tuæ solémnia cólimus, ejus apud te patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

Die 27. Julii.

S. Pantaleonis Martyris.

Missa. Lætábitur. de Coñ. unius Mart. non Pont. 2. loco, præter Orat. sequ.

Oratio.

Deus, qui beátum Pantaleónem Mátyrem tuum vária torménta superáre fecísti, et pro persecutóribus exoráre: concéde propítius; ut qui ejus implorámus auxílium, misericórdiæ tuæ sentiámus effectum. Per Dóminum.

Die 11. Augusti.

S. Christophori Martyris.

Missa. In virtúte. de Comm. unius Mart. non Pont. 1. loco. cum Evang. Si quis vult. de Comm. Mart. Pont. 2. loco, et sequ. Orat. propriis.

Oratio.

Adésto, Dómine, supplicatióibus nostris, ut qui beáti Mátyris tui Christophori natalítiis glóriamur, nec minis injúste persequentium, nec ullis perturbémur advérsis. Per Dóminum.

Secreta.

Obláta múnera, quæsumus Dómine, tua benedictióne sanctifica, quæ, te donánte, nos illa fláma tuæ dilectiónis accéndat, per quam sanctus Christophorus torménta sui córporis univérsa devícit. Per Dóminum nostrum.

Postcommunio.

Beáti Mátyris tui Christophori victóriam divíno convívio celebrántes, te Dómine depóscimus, ut panem vitæ hic edéntibus des vincere, et vincéntibus des édere de ligno vitæ in paradíso. Per Dóminum nostrum.

Die 13. Augusti.

Ss. Hippolyti et Cassiani Mart.

Missa. Salus autem. de Communi plurim. Mart. 3. loco.

Die 14. Augusti.

S. Margaritæ Virg. et Mart.

Missâ. Me exspectavérunt. de Coñ. Virg. et Mart. 2. loco.

Die 16. Augusti.

S. Rochi Confessoris.

Missâ. Justus ut palma. de Coñ. Conf. non Pont. 2. loco, præter Orat. sequ.

Oratio.

Pópulum tuum, quæsumus Dómine, continúa pietáte custódi: et beáti Rochi suffragántibus méritis, ab omni fac ánimæ et córporis contagióne secúrum. Per Dñm.

Et fit commem. Octav. Assumpt. B.M.V. et S. Laurentii, ut in Missali.

Die 18. Augusti.

S. Agapiti Martyris.

Introitus. Sap. 10. 21.



Apiéntia apéruit os mutum, et linguas infántium fecit disértas.

Ps. 112. Laudáte púeri Dóminum, laudáte nomen Dómini. V. Glória Patri.

Oratio.

Lætétur Ecclésia tua, Deus, beáti Agapíti Mátyris tui confísa suffrágiis, atque ejus précibus gloriósis et devóta permáneat, et secúra consístat. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Petri Apóstoli.

1. Petr. 4. 13.

Carissimi: Communicántes Christi passióibus gaudéte, ut et in revelatióne glóriæ ejus gaudeátis exsultántes. Si exprobrámini in nómine Christi, beáti éritis: quóniam quod est honóris, glóriæ, et virtútis Dei, et qui est ejus Spíritus, super vos requiescit. Nemo autem vestrum patiátur ut homicída, aut fur,

aut malédicus, aut alienórum appetitor. Si autem ut christiánus, non erubéscat: gloríficet autem Deum in isto nómine. Quóniam tempus est, ut incípiat júdiciú a domo Dei. Si autem primum a nobis: quis finis eórum, qui non credunt Dei Evangélio? Et si justus vix salvábitur, impius et peccátor ubi parébunt? Itaque et hi, qui patiúntur secúndum voluntátem Dei, fidéli Creatóri comméndent ánimas suas in benefáctis.

Graduale. Ps. 20. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei, et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum.

V. Prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis.

Allelúja, allelúja.

V. Posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. Allelúja.

 Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Matth. 10.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nolíte arbitrári, quia pacem vénerim mittere in terram: non veni pacem mittere, sed gládium. Veni enim separáre hóminem advérsus patrem suum, et filiam advérsus matrem suam, et nurum advérsus socrum suam: et inimíci hóminis, doméstici ejus. Qui amat patrem, aut matrem plus quam me, non est me dignus. Et qui amat filium, aut filiam super me, non est me dignus. Et qui non áccipit crucem suam, et séquitur me, non est me dignus. Qui invénit ánimam suam, perdet illam: et qui perdíderit ánimam suam propter me, invéniet eam. Qui récipit vos, me récipit: et qui me récipit, récipit eum, qui me misit. Qui récipit prophétam in nómine prophétæ, mercédem pro-

phétæ accípiet: et qui récipit justum in nómine justi, mercédem justi accípiet. Et quicumque potum déderit uni ex mínimis istis cálicem aquæ frigidæ tantum in nómine discipuli: amen dico vobis, non perdet mercédem suam.

Offertorium. Ps. 8. Glória et honóre coronásti eum, et constituísti eum super ópera mánuum tuárum, Dómine.

Secreta.

Accépta sit in conspéctu tuo, Dómine, nostra devótió, ut ejus nobis fiat supplicatióne salutáris pro cujus solemnitáte defértur. Per Dóminum nostrum.

Comúnio. Dan. 13. Suscitávit Dóminus Spíritum sanctum púeri juníoris.

Postcommunio.

Refécti participatióne múnieris sacri, quæsumus Dómine Deus noster, ut cujus exséquimur cultum intercedente beáto Agapíto Mártire tuo, sentiámus efféctum. Per Dóminum nostrum.

Die 19. Augusti.

S. Ludovici Tolosani Ep. et Conf.

Omnia ut inter festa pro aliquibus locis eadem die.

Die 21. Augusti.

Ss. Donati et Soc. Mart.

Missa. Sapiéntiam. de Comuni plurim. Mart. 2. loco.

Die 27. Augusti.

Translationis

Ss. Hermagoræ et Fortunati Mart.

Missa. Intret. de Comm. plurim. Mart. præter sequ. propria.

Oratio.

Deus, qui gloriósa beatórum Mártýrum tuórum Hermagoræ et Fortunati membra nobis fámulis

tuis reveláre dignátus es: concéde propítius, ut qui eórum Córpórum Translationem hódie venerádo cólimus, ipsórum beatitúdini, te concedente, adjúngi mereámur. Per Dóminum nostrum.

Secreta.

Múnera humilitátis nostræ, Dómine, sanctórum Mártýrum tuórum Hermagoræ et Fortunati Translatione offeréntes: quæsumus te propítius prospícere dignáre; et ipsórum intercessiόne tam ad proféctum vitæ, quam ánimæ, salutári nobis consuéta miseratiόne provenire concéde. Per Dóminum.

Postcommunio.

Suméntes Dómine, coeléstis dona mystérii: quæsumus, ut sanctórum Mártýrum tuórum Hermagoræ et Fortunati adjuvémur méritis, quorum Translationem débíta veneratiόne celebrámus. Per Dóminum.

Die 1. Septembris.

Sancti Ægidii Abbatis.

Missa. Os justi. de Com. Abbat. præter sequ.

Oratio.

Deus, qui beátum Ægidium Abbatem, erogátis in paúperes divítiis, ad erémum mira providéntia traduxísti: fác nos ejus exémplo et intercessiόne cadúca despícere et sola coeléstia desideráre. Per Dñm.

Et fit comem. Ss. Duodecim Fratrum Mart. ut in Missali hac die.

Secreta.

Per hanc, quam tibi offérimus, hóstiam esto nobis, Dómine propítius; et intercessiόne beati Ægidii Abbatis nostra ad te corda convérte, ut a mundánis cupiditatibus expediti, te solum pura mente sectémur. Per Dóminum.

Postcommunio.

Súmpsimus, Dómine, sacri dona mystérii humíliter deprecántes, ut beátū Ægídium Abbátem, quem admirábilem in mundi contémpu prædicámus in terris, intercessórem mereámur habére in cœlis. Per Dóminum nostrum.

Die 3. Septembris.

Ss. Euphemiæ et Sociar. Mart.

Introitus. Ps. 118.

ME exspectavérunt peccatóres, ut pérderent me: testimónia tua, Dómine, intelléxi: omnis consummátionis vidi finem, latum mandátum tuum nimis.

Ps. ibid. Beáti immaculáti in via: qui ámbulant in lege Dómini.

V. Glória Patri.

Oratio.

Da nobis, miséricors Deus, sanctis Virgínibus et Martýribus tuis Euphémia, Doróthea, Thecla et Erásma intercedéntibus, cœlestis grátiae abundántiam: ut eárum pás-sio celebráta, præsentis vitæ subsidium cónferat, et æternæ. Per Dóminum nostrum.

Lectio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. 1. Cor. 7.c.

Fratres: De virgínibus præceptum Dómini non hábeo: consílium autem do, tamquam misericórdiam consecúsus a Dómino, ut sim fidélis. Existimo ergo hoc bonum esse propter instántem necessitátem, quóniam bonum est hómini sic esse. Alligátus es uxóri? noli quærere solutióem. Solúus es ab uxóre? noli quærere uxórem. Si autem accéperis uxórem, non peccásti. Et si núpserit virgo, non peccávit: tribulatióem tamen car-

nis habébunt hujúsmodi. Ego autem vobis parco. Hoc itaque dico, fratres: Tempus breve est: réliquum est, ut et qui habent uxóres, tamquam non habéntes sint: et qui flent, tamquam non flentes: et qui gaudent, tamquam non gaudentes: et qui emunt, tamquam non possidentes: et qui utúntur hoc mundo, tamquam non utántur: præterit enim figúra hujus mundi. Volo autem vos sine sollicitúdine esse. Qui sine uxóre est, sollicitus est, quæ Dómini sunt, quómodo pláceat Deo. Qui autem cum uxóre est, sollicitus est, quæ sunt mundi, quómodo pláceat uxóri, et divísus est. Et múlter innúpta, et virgo, cógitat quæ Dómini sunt; ut sit sancta corpore et spíritu: in Christo Jesu Dómino nostro.

Graduale. Ps. 45. Adjuvábít eam Deus vultu suo: Deus in médio ejus, non commovébítur.

V. Flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei: sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus.

Allelúja, allelúja.

V. Hæc est virgo sápiens, et una de número prudéntium. Allelúja.



Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Matth. 19.

IN illo témpore: Accessérunt ad Jesum Phariséi tentántes eum, et dicéntes: Si licet hómini dimíttere uxórem suam quacúmque ex causa? Qui respóndens, ait eis: Non legistis, quia qui fecit hóminem ab initio, másculum et féminam fecit eos? Et dixit: Propter hoc dimíttet homo patrem et matrem, et adhærébit uxóri suæ, et erunt duo in carne una? Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjúnxit, homo non séparet. Dicunt

illi: Quid ergo Móyses mandávit dare libellum repúdií, et dimítttere? Ait illis: Quóniam Móyses ad durítiam cordis vestri permísit vobis dimítttere uxóres vestras: ab initio autem non fuit sic. Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit uxórem suam, nisi ob fornicatióem, et áliam dúxerit, mœchátur: et qui dimíssam dúxerit, mœchátur. Dicunt ei discípuli ejus: Si ita est causa hóminis cum uxóre, non expedit núbere. Qui dixit illis: Non omnes cápiunt verbum istud, sed quibus datum est. Sunt enim eunúchi, qui de matris útero sic nati sunt: et sunt eunúchi, qui facti sunt ab homínibus: et sunt eunúchi qui seipsos castravérunt propter regnum cœlórum. Qui potest cápere, cápiat. Offertorium. Ps. 44. Diffúsa est grátia in lábiis tuis, propterea benedíxit te Deus in ætérnum, et in sœculum sœculi.

Secreta.

Inténde, quæsumus Dómine, múnera altáribus tuis pro sanctárum Vírginum et Mártýrum tuárum Euphémiae, Dorótheae, Theclae et Erasmae festivitáte propósita: ut sicut per hæc beáta mystéria illis glóriam contulísti, ita nobis indulgéntiam largiáris. Per Dóminum.

Communio. Ps. 116. Feci iudícium et justítiam, Dómine, non calumniéntur mihi supérbi: ad ómnia mandáta tua dirigébar, omnem viam iniquitátis ódio hábui.

Postcommunio.

Præsta nobis, quæsumus Dómine, intercedéntibus sanctis Virgínibus et Martýribus tuis: ut quod ore contingimus, pura mente capiámus. Per Dóminum.

Die 4. Septembris.

S. Rosalíæ Virginis.

Ut inter festa pro aliqu. locis eadem die 1. loco.

Die 6. Septembris.

Ss. Hermogenis et Fortunati Mart.

Missa. Sapiéntiam. de Comuni plurim. Mart. 2. loco.

Die 9. Septembris.

S. Pelagii Mart.

Missa. In virtúte. de Comuni unius Mart. non Pont. 1. loco. Evang. Si quis venit. ex Missa. Státuit. de Comuni unius Mart. Pont. 1. loco.

Die 11. Septembris.

S. Danielis Prophetæ Conf.

Introitus. Ps. 36.



S justí meditábitur sapiéntiam, et lingua ejus loquétur iudícium: lex Dei ejus in corde ipsíus.

Ps. ib. Noli æmulári in malignántibus: neque zeláveris faciéntes iniquitátem. V. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui nos beáti Daniélis Confessóris tui ánnua solénnitate lætíficas: concéde propítius; ut cujus natalítia cólimus, étiam actiões imitémur. Per Dóminum.

Lectio Daniélis Prophétæ.

Dan. 14. c.

In diébus illis: Congregáti sunt Babylónii ad regem, et dixerunt ei: Trade nobis Daniélem, qui Bel destrúxit, et draconem interfécit, alióquin interficiémus te, et domum tuam. Vidit ergo rex quod irrúerent in eum veheménter: et necessitate compúlsus trádidit eis Daniélem. Qui misérunt eum in lacum leónum, et erat ibi diébus sex. Porro

in lacu erant leones septem, et dabantur eis duo corpora quotidie, et duae oves; et tunc non data sunt eis, ut devorarent Daniélem. Erat autem Hábacuc Prophéta in Judæa, et ipse cõxerat pulmẽtum, et intriverat panes in alvéolo; et ibat in campum, ut ferret messõribus. Dixitque Angelus Dõmini ad Hábacuc: Fer prándium, quod habes, in Babylónem Daniéli, qui est in lacu leonum. Et dixit Hábacuc: Dõmine, Babylónem non vidi, et lacum nescio. Et apprehendit eum Angelus Dõmini in vértice ejus, et portavit eum capíllo cápitis sui, posuitque eum in Babylone supra lacum in impetu spíritus sui. Et clamavit Hábacuc, dicens: Dániel, serve Dei, tolle prándium quod misit tibi Deus. Et ait Dániel: Recordátus es mei, Deus, et non dereliquisti diligẽtes te. Surgensque Dániel comedit. Porro Angelus Dõmini restituit Hábacuc confestim in loco suo. Venit ergo rex die séptimo, ut lugeret Daniélem; et venit ad lacum, et introspexit: et ecce Dániel sedens in médio leonum. Et exclamavit voce magna rex, dicens: Magnus es, Dõmine Deus Daniélis. Et extraxit eum de lacu leonum. Porro illos, qui perditionis ejus causa fuerant, intromisit in lacum, et devorati sunt in momẽto coram eo. Tunc rex ait: Paveant omnes habitantes in univérſa terra Deum Daniélis, quia ipse est Salvátor, faciẽs signa, et mirabilia in terra, qui liberavit Daniélem de lacu leonum.

Graduale. Ps. 91 Justus ut palma florébit, sicut cedrus Líbani multiplicábitur in domo Dõmini.

V. Ad annuntiándum mane misericórdiam tuam, et veritátẽ tuam per noctem.

Allelúja, allelúja.

V. Jac. 1. Beátus vir, qui suffert tentatiõnem: quóniam, cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ. Allelúja.



Sequẽtia sancti Evangélii scúndũ Matthæum. Matth. 24.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Cum vidéritis abominatiõnem desolatiõnis quæ dicta est a Daniéle Prophéta, stantem in loco sancto, qui legit, intélligat: tunc qui in Judæa sunt, fúgiant ad montes: et qui in tecto, non descendat tollere aliquid de domo sua: et qui in agro, non révertátur tollere túnicaẽ suam. Væ autem prægnántibus et nutriẽtibus in illis diébus. Oráte autem, ut non fiat fuga vestra in hieme, vel sábbato. Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab inítkio mundi usque modo, neque fiet. Et nisi breviáti fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro: sed propter eléctos breviabúntur dies illi. Tunc si quis vobis díxerit: Ecce hic est Christus, aut illic: nolíte credere. Surgent enim pseudochrísti et pseudoprophætæ et dabunt signa magna et prodígia, ita ut in errórem inducántur (si fieri potest) étiam elécti. Ecce prædíxi vobis. Si ergo díxerint vobis: Ecce in desérto est, nolíte exíre: Ecce in penetrálibus, nolíte credere. Sicut enim fulgur exit ab oriẽte, et paret usque in Occidẽtem: ita erit advéntus Fílii hóminis. Ubiúmque fúerit corpus illic congregabúntur et áquilæ. Statim autem post tribulatiõnem diérum illórum sol obscurábitur, et luna non dabit lumen suum, et stellæ cadent de cœlo, et virtútes cœlórum commovebúntur: et tunc parébit signum

Fílii hóminis in cœlo: et tunc plangent omnes tribus terræ: et vidébunt Fílium hóminis veniéntem in núbibus cœli cum virtúte multa, et majestáte. Et mittet Angelos suos cum tuba, et voce magna, et congregábunt eléctos ejus a quátuor ventis, a summis cœlórum usque ad términos eórum. Ab árbore autem fici díscite parábolam: cum jam ramus ejus tener fúerit, et fólía nata, scitis quia prope est æstas; ita et vos, cum vidéritis hæc ómnia, scitóté quia prope est in jánuis. Amen dico vobis, quia non præteribit generátio hæc, donec ómnia hæc fiant. Cœlum et terra transíbunt, verba autem mea non præteríbunt.

Offertorium. Ps. 88. Véritas mea, et misericórdia mea cum ipso; et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Secreta.

Laudis tibi, Dómine, hóstias immolámus in tuórum commemoratione sanctorum: quibus nos et præsentibus éxui malis confidimus, et futúris. Per Dóminum.

Communio. Matth. 24. Beátus servus, quem, cum vénerit Dóminus, invénerit vigilántem: amen dico vobis, super ómnia bona sua constituet eum.

Postcommunio.

Refécti cibo, potúque cœlesti, Deus noster, te súpplices exorámus: ut in cujus hæc commemoratione percépimus, ejus muniámur et précibus. Per Dóminum.

Die 12. Septembris.

S. Juliani Mart.

Missa. Lætábitur. de Communi unius Mart. non Pont. 2. loco. Evang. Si quis vult. ex Missa. Sacerdótes Dei. de Coñ. unius Mart. Pont. 2. loco.

Die 13. Septembris.

Ss. Septem Dormientium Mart.

Missa. Sapiéntiam. de Communi plurim. Mart. 2. loco.

Die 25. Septembris.

B. Mariæ de Socos dictæ de Cervellione Virg.

Missa. Dilexísti. de Communi Virg.

Oratio.

Deus, qui nos cónspicis in tot perículis constitútos pro nostra fragilitáte non posse subsistere: concéde propítius; ut intercedénte beáta María fámula tua de præsentis vitæ flúctibus edúcti, ad æternæ salútis portum pervenire valeámus. Per Dóminum.

Die 26. Septembris.

S. Gerardi Episc. et Mart.

Missa. Státuit. de Coñuni unius Mart. Pont. 1. loco.

Die 10 Octobris.

Ss. Gereonis et Sociorum.

Oratio.

Deus qui nos concedis sanctorum Martyrum tuorum Gereonis et Sociorum ejus solemnitate gaudere: concede propítius, ut quorum merita celebramus, accendamus exemplis. Per Dóminum.

Die 10. Octobris.

Ss. Gereonis et Sociorum.

Missa. Sapiéntiam. de Communi plurim. Mart. 2. loco, præter sequ. Evang.



Sequéntia sancti Evangélíi secúndum Matthæum. Matth. 10.

IN illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Cum persequéntur vos in civitáte ista, fúgite in áliam. Amen dico vobis, non consummábitis civitátes Israél, donec véniat Fílius hóminis. Non est discípulus super magístrum, nec servus super dóminum suum. Súfficit

discípulo, ut sit sicut magister ejus: et servo, sicut dñus ejus. Si patremfamilias Beélzebub vocaverunt; quanto magis domésticos ejus? Ne ergo timéritis eos: nihil enim est opértum, quod non revelábitur; et occúltum, quod non sciétur. Quod dico vobis in ténebris, dícite in lúmine: et quod in aure audítis, prædicáte super tecta. Et nolíte timére eos, qui occidunt corpus, ánimam autem non possunt occidere: sed pótius timéte eum, qui potest et ánimam et corpus pèrdere in gehénna.

Die 11. Octobris.

S. Justinæ Virg. et Mart.

Missa. Loquébar. de Coñ. Virg. et Mart. 1. loco.

Die 12. Octobris.

S. Maximiliani Episc. Mart.

Missa. Státuit. de Comuni unius Mart. Pontif. præter primam Orat. propr.

Oratio.

Deus qui nos beáti Maximiliáni Mártiris tui atque Pontificis ánnua solemnitáte lætíficas: concéde propítius; ut cujus natalítia cólimus, de ejúsdem étiam protectióne gaudeámus. Per Dóminum.

Dominica III. Octobris.

Dedicationis S. Metropolitanæ et Omnium hujus Archidiœcesis Ecclesiarum consecr.

Missa. Terríbilis. de Annivers. Dedic. Eccl.

Fit coñ. Dom. occurr. et dicitur Credo per Octavam.

Die 21. Octobris.

Ss. Ursulæ et Soc. Virg. et Mart.

Missa. Loquébar. de Comuni Virg. et Mart. Orationes et Coñem. S. Hilarionis Abb. ut in Missali hac die. Epistola vero. De virgíibus. ex Missa. Vultum.

Die 22. Octobris.

S. Fidei Virg. et Mart.

Missa. Me expectaverunt. de Coñ. Virg. et Mart. 2. loco.

Die 24. Octobris.

S. Raphaëlis Archangeli.

Missa. Benedícite. ut inter festa pro aliquibus locis eadem die.

Die 31. Octobris.

S. Wolfgangi Ep. et Conf.

Missa ut inter festa pro aliqu. locis eadem die.

Die 3. Novembris.

S. Justi Mart.

Missa. In virtúte. de Comuni unius Mart. non Pont. 1. loco, præter sequ.

Oratio.

Deus, qui beátum Justum Mártirem tuum virtúte constantiæ in passióne roborásti: concéde propítius; ut qui ejus festum hodiérna die celebrámus, ejus quoque consórtio perfruámur ætérno. Per Dóminum nostrum.

 Sequéntia sancti Evangélíi secúndũ Joánnem. Joan. 12. d.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Amen, amen dico vobis, nisi granum fruménti cadens in terram, mórtuum fúerit, ipsum solum manet. Si autem mórtuum fúerit, multum fructum affert. Qui amat ánimam suam, perdet eam: et qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam cu-

stódit eam. Si quis mihi minístrat, me sequátur: et ubi sum ego, illic et miníster meus erit. Si quis mihi ministráverit, honorificábit eum Pater meus.

Die 6. Novembris.

S. Leonárdi Confessoris.

Missa. Os justi. de Com. Conf. non Pont. 1. loco, præter sequ.

Léctio libri Sapiéntiæ. Eccli. 45.

Diléctus Deo, et homínibus, cuius memória in benedictióne est. Símilem illum fecit in glória sanctórum, et magnificávit eum in timóre inimicórum, et in verbis suis monstra placávit. Glorificávit illum in conspéctu regum, et iussit illi coram pópulo suo, et osténdit illi glóriam suam. In fide et lenitáte ipsius sanctum fecit illum, et elégit eum ex omni carne. Audívit enim eum et vocem ipsius, et indúxit illum in nubem. Et dedit illi coram præcépta, et legem vitæ et disciplínæ.

Graduale. Ps. 20. Dómine, prævenísti eum in benedictiónibus dulcedínis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

℣. Vitam pétíit a te, et tribuísti ei longitudínem diérum in sáculum sáculi. Allelúja, allelúja.

℣. Ps. 91. Justus ut palma florébit: sicut cedrus Líbani multiplicábitur. Allelúja, allelúja.

Die 7. Novembris.

S. Prosdocimi Ep. et Conf.

Missa. Sacerdótes tui. de Comm. Conf. Pont. 2. loco.

Die 14. Novembris.

S. Mennæ Mart.

Missa. In virtúte. de Comuni unius Mart. non Pont. 1. loco. Evangelium. Amen, amen dico vobis: Nisi granum. ut supra fol. 20. 22 i. e.

die 3 nov. in festo S. Mennæ

Die 15. Novembris.

S. Leopoldi Confessoris.

Introitus. Ps. 36.



S justi meditábitur sapiéntiam, et lingua ejus loquétur judícium: lex Dei ejus in corde ipsius.

Ps. ib. Noli æmulári in malignántibus: neque zeláveris faciéntes iniquitátem.

℣. Glória Patri.

Oratio. ut pag 192 pro aliq. loc

Deus, qui sanctum Leopóldum a sáculi curis ad cœlestem glóriam traduxísti: concéde, quæsumus; ita nos per hæc temporália pertransire, ut æternæ vitæ consórtia mereámur. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Eccli. 31.

Beátus vir, qui invéntus est sine mácula: et qui post aurum non ábiit, nec sperávit in pecúnia et thesaúris. Quis est hic, et laudábitur eum? fecit enim mirabília in vita sua. Qui probátus est in illo, et perféctus est, erit illi glória æterna: qui pótuít tránsgrédi, et non est tránsgréssus: fácere mala, et non fecit: ideo stabilíta sunt bona illius in Dómino, et eleemósynas illius enarrábit omnis ecclésia sanctórum.

Graduale. Ps. 91. Justus ut palma florébit: sicut cedrus Líbani multiplicábitur in domo Dómini.

℣. Ad annuntiándum mane misericórdiam tuam, et veritátem tuam per noctem.

Allelúja, allelúja.

℣. Jac. 1. Beátus vir, qui suffert tentatióem: quóniam cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ. Allelúja.

 Sequéntia sancti Evangélii se-
cúndum Lucam. Luc. 19. b.

IN illo témpore: Dixit Jesus di-
scípulis suis parábolam hanc:
Homo quidam nóbilis ábiit in re-
giónem longínquam accípere sibi
regnum, et revérti. Vocátis autem
decem servis suis, dedit eis decem
mnas, et ait ad illos: Negotiámini
dum vénio. Cives autem ejus óde-
rant eum: et misérunt legatiónem
post illum, dicéntes: Nólumus hunc
regnáre super nos. Et factum est,
ut redíret accépto regno: et jussit
vocári servos, quibus dedit pecú-
niam, ut sciret quantum quisque
negotiátus esset. Venit autem pri-
mus, dicens: Dómine, mna tua de-
cem mnas acquisívit. Et ait illi:
Euge bone serve, quia in módico
fuísti fidélis, eris potestátem habens
super decem civitátes. Et alter ve-
nit, dicens: Dómine, mna tua fecit
quinque mnas. Et huic ait: Et tu
esto super quinque civitátes. Et al-
ter venit, dicens: Dómine, ecce mna
tua, quam hábui repósitam in su-
dário: tímui enim te, quia homo au-
stérus es: tollis quod non posuísti,
et metis quod non seminásti. Dicit
ei: De ore tuo te júdico, serve ne-
quam. Sciébas quod ego homo au-
stérus sum, tollens quod non pó-
sui, et metens quod non seminávi:
et quare non dedísti pecúniam me-
am ad mensam, ut ego véniens, cum
usúris útique exegíssem illam?
Et adstántibus dixit: Auférte ab
illo mnam, et date illi, qui decem
mnas habet. Et dixerunt ei: Dó-
mine, habet decem mnas. Dico au-
tem vobis: Quia omni habénti dá-
bitur, et abundábit: ab eo autem,
qui non habet, et quod habet, aufe-
rétur ab eo.

Offertorium. Ps. 88. Véritas mea,
et misericórdia mea cum ipso: et
in nómine meo exaltábitur cornu
ejus.

Secreta.

Laudis tibi, Dómine, hóstias im-
molámus in tuórum comme-
moratióne sanctórum: quibus nos
et præséntibus éxui malis confídi-
mus, et futúris. Per Dóminum.

Comúnio. Matth. 24. Beátus ser-
vus, quem, cum vénerit dóminus, in-
vénerit vigilátem: amen dico vobis,
super ómnia bona sua constituet
eum.

Postcommunio.

Refécti cibo, potúque cœlésti,
Deus noster, te súpplīces ex-
orámus: ut in cujus hęc comme-
moratióne percépimus, ejus muniámur
et précibus. Per Dóminum.

Dominica III. Novembris.

Patrocinii B. M. V.

Missa ut Dominica II. Nov. inter
festa pro aliqu. locis.

Die 23. Novembris.

S. Felicitatis Martyris.

Missa. Me exspectavérunt. de Com.
Mart. non Virg. Orationes ut in
Missali hac die.

Die 24. Novembris.

S. Chrysogoni Martyris.

Missa. In virtúte. de Comuni
unius Mart. non Pont. 1. loco. Ora-
tiones ut in Missali hac die.

Die 26. Novembris.

S. Mauri Mart.

Missa. In virtúte. de Comuni
unius Mart. non Pont. 1. loco. Evang.
Si quis vult. ex Missa. Sacerdótes
Dei. de Comuni unius Mart. Pont.
2. loco.

Die 27. Novembris.

S. Valeriani Ep. Aquil. Conf.

Missa. Sacerdotes tui. de Com. Conf. Pont. 2. loco.

Die 28. Novembris.

Ss. Quatuor Coronatorum Mart.

Missa. Intret. de Communi plur. Mart. 1. loco.

Orationes ut in Missali die 8. Novembris.

Epistola. Sancti per fidem. ut in festo Ss. Fabiani et Sebastiani die 20. Jan.

Die 29. Novembris.

S. Theodori Martyris.

Missa. Lætabitur. de Com. unius Mart. non Pont. 2. loco.

FERIA VI. IN PARASCEVE

post Orationem pro Papa.

Oremus et pro religiosissimo N. Archiepiscopo nostro, ut Deus et Dominus noster, qui divina miseratione hujus Diocesis onus humeris ejus imposuit, benignitatis suæ illi gratiam largiatur, ne ponderis magnitudine oppressus, humanæ fragilitatis imbecillitate deficiat.

Oremus. Flectamus genua. R. Levate.

Deus qui licet magnus in magnis, mirabilia tamen gloriosus operaris in minimis, concede famulo tuo N. Archiepiscopo nostro religiosissimo, sacris convenienter servire Mystériis, atque in omnibus tua misericordia protegat, quem conscientiae suæ reatus accusat. Per Dominum.

PRECES PUBLICÆ,

QUAS

PIUS Divina providentia Papa IX.

per Decretum S. Rit. Congr. de die X. Februarii 1860. in omnibus et singulis Ecclesiis Latini Ritus intra fines Imperii Austriaci constitutis pro supremo Imperante indeclinabiliter juxta sequentem methodum recitandas mandavit:

I.

In Missæ Canone nomen Imperatoris adjicietur hac adhibita formula: Et Imperatore Nostro N., quæ dicenda erit post mentionem factam Romani Pontificis et Episcopi Diocesani.

II.

In singulis per annum Missis vel solemnibus, vel Parochialibus, diebus tamen quibus per Rubricas licebit, sequens addetur pro Imperatore collecta.

Oratio.

Quæsumus omnipotens Deus, ut famulus tuus N. Imperator

noster, qui tua miseratione suscipit regni gubernacula, virtutum etiam omnium percipiat incrementa, quibus decenter ornatus vitiarum monstra devitare, hostes superare, et ad te, qui via, veritas et vita es, gratus valeat pervenire. Per Dñm.

Secreta.

Múnera, Domine, quæsumus, oblata sanctifica: ut et nobis Unigeniti tui Corpus et Sanguis fiant; et Imperatori nostro ad obtinendam animæ corporisque salutem, et ad peragendum injunctum officium, te largiente, usquequaque proficiant. Per eundem Dominum.

Postcommunio.

Hæc, Dómine, oblátio salutáris fámulum tuum N. Imperatórem nostrum ab ómnibus tueátur advérsis: quátenus et ecclesiásticæ pacis obtíneat tranquillitátem; et post hujus témporis decúrsum ad ætérnam pervéniat hæreditátem. Per Dóminum.

Quibus vero in Diocesibus viguit hactenus consuetudo canendi insuper in Missa solemni sive post Antiphonam Communionis, sive post ultimum Evangelium, *Ÿ.* Dómine salvum fac Imperátorem nostrum N. et exáudi nos in die, qua invocavérimus te. firma eadem consuetudo perstabit.

III.

In Missa Præsanctificatorum feria VI. in Parasceve inter Orationem pro cunctis Ordinibus et aliam pro Catechumenis hæc pro Imperatore dicetur:

Orémus et pro gloriosíssimo Imperátore nostro N.; ut Deus et Dóminus noster det illi sédium suárum assistricem sapiéntiam, qua pópulum sibi commissum gubérnet in omni justítia et sanctitáte ad divínam glóriam et nostram perpétuam pacem.

Oratio.

Ÿ. Flectámus génua. *R.* Leváte.

Omnípotens sempitérne Deus, qui regnis ómnibus ætérna potestáte domináris: réspice ad Austriacum benígnus Impérium; ut et Imperátor juste imperándo, et pópulus fidéliter obediéndo ad glóriam tui nóminis et regni tran-

quillitátem unánimi pietáte conspírent. Per Dóminum.

IV.

Præconium Paschale sabbato sancto hac ratione concludetur:

Precámur ergo te, Dómine, ut nos fámulos tuos, omnémque Clerum, et devotíssimum pópulum una cum Beatíssimo Papa nostro N., et Antistite nostro N., necnon gloriosíssimo Imperátore nostro N., quiéte témporum concéssa, in his Paschálibus gaúdiis assídua protectione régere, gubernáre et conserváre dignéris. Per eúmdem Dóminum nostrum.

V.

In Litaníis Sanctorum cum deven-tum fuerit ad preces, inter *Ÿ.* Ut inimícos Sanctæ Ecclésiæ. et alium: Ut Régibus et Princípibus. addetur:

Ÿ. Ut Imperátorem nostrum custodíre dignéris,

R. Te rogámus, audi nos.

Item post Psalmum. Deus in adiutórium. dicto *Ÿ.* Orémus pro Pontífice nostro N. et *R.* Dóminus consérvet. illico subjungetur:

Ÿ. Orémus pro Imperátore nostro N.

R. Dómine, salvum fac Imperátorem et exáudi nos in die, qua invocavérimus te.

Denique, absolutis precibus, immediate post Orationem pro Papa adjicietur Oratio pro Imperatore superius notata. Quæsumus omnípotens Deus ut fámulus tuus N. Imperátor noster.

PRO OBTINENDO FELICI PARTU IMPERATRICIS AUSTRIÆ.

Ex Decr. S. R. C. 24. Aprilis 1856.

Oratio.

Defende, quæsumus Dómine, beáta María semper Vírgine intercedente ab omni adversitatē fámulam tuam Imperatricem N. Reginam nostram: ut quam voluisti prole in útero fœcundári, per optátum partum tríbue ut ad religiónis, et públicæ salútis augméntum felíciter nascátur et crescat. Per Dñm.


Secreta.

Súscipe quæsumus, omnípotens Deus, oblatiōnem nostræ devotiōnis, et per virtútem hujus sacra-

ménti fámulam tuam Imperatricem N. Reginam nostram, et fructum, quem útero gestat, a cunctis adversitatibus prótege. Per Dóminum.

Postcommunio.

Benedictiōnem tuam, Dómine, super fámulam tuam Imperatricem N. Reginam nostram benígnus infúnde: ut una cum prole per intercessiōnem beatíssimæ Virginis Mariæ corpore salvétur et mente, ac cóngruam tibi éxhibens servitútem propitiatiōnis tuæ beneficia semper invéniat. Per Dóminum.



Index alphabeticus.

Abundii Episc. Conf. 3. Aprilis.	fol. 7	Joannis Nepomuceni, Martyr. 16. Maji.	fol. 8
Achatii et Soc. Mart. 7. Jul.	12	Josaphat Episc. Mart. 1. Dec.	3
Ægidii Abbat. 1. Sept.	17	Justi Mart. 3. Nov.	22
Agapis et Soc. Virg. Mart. 3. Martii.	6	Justinæ, Virg. et Mart. 11. Oct.	22
Agapiti Mart. 18. Aug.	16	Juventii Episc. Conf. 8. Febr.	5
Anastasie Mart. 6. Febr.	5	Lanceæ et Clavorum D. N. J. C. Fer. VI. post Dom. I. Quadr.	6
Apparitio et Coronatio B. M. V. Montis Sancti prope Goritiam. Domin. III. post. Pent.	12	Leonardi, Conf. 6. Nov.	23
Barbaræ Virg. et Mart. 12. Dec.	3	Leopoldi, Conf. 15. Nov.	23
Bertrandi Patriarchæ Aquilej. Conf. 6. Jun.	10	Liberalis Conf. 17. April.	7
Blasii Episc. Mart. 7. Febr.	5	Ludovici Tolosani Ep. Conf. 19. Aug.	17
Cantiani, Cantii et Cantianillæ Fratrum Martyrum. 31. Maji.	9	Marci Evangel. Translatio. 31. Jan.	3
Christinæ Virg. Mart. 24. Jul.	15	Marci Pap. Conf. 7. Oct.	21
Christophori Mart. 11. Aug.	15	Margaritæ Virg. Mart. 14. Aug.	16
Chromatii Episc. Aquil. et Conf. 2. Dec.	3	Margaritæ de Cortona, Pœnit. 23. Febr.	6
Chrysantiani et Soc. Mart. 17. Febr.	6	Maræ de Socos, dictæ de Cervellione, Virg. 25. Sept.	21
Chrysogoni Mart. 24. Nov.	24	— — Desponsationis. 23. Jan.	3
Commem. Passionis D. N. J. C. FERIA III. post Dom. Sexag.	5	— — Expectatio Partus. 18. Dec.	3
Commem. Om. Ss. Apost. 29. Jun.	16	— — Patrocinii Dom. III. Nov.	21
Commem. Omn. Ss. Martyrum. 26. Dec.	3	Mauri Mart. 26. Nov.	24
Commem. Sanctorum, quorum Reliquiæ in S. Me- tropolit. Eccl. Goritensi asservantur. 8. Jun.	11	Maximæ Virg. 17. Maji.	8
Corporum Ss. Cantii et Soc. Mart. Inventio. 24. April.	7	Maximiliani Episc. Mart. 12. Oct.	22
Cyriacæ et Muscæ Virg. et Mm. 17. Jun.	10	Maximi Episc. Mart. 29. Maji.	8
Cyrylli Episc. Alexandrini, Conf. et Eccl. Doct. 21. Febr.	6	Mennæ Mart. 14. Nov.	23
Danielis Prophetæ Conf. 11. Sept.	19	Nazarii Episc. Conf. 19. Jun.	12
Dedicatio Basilicæ S. Mariæ Aquil. 13. Jul.	13	Niceæ Episc. Conf. 22. Jun.	12
Dedicationis S. Metropolitanæ et Omnium hujus Archidioc. Eccles. consecr. Domin. III. Oct.	22	Orationis D. N. J. C. FERIA III. post Dom. Septuag.	5
Divisionis Apostolorum. 15. Jul.	14	Pantaleonis Mart. 27. Jul.	15
Donati et Soc. Mart. 21. Aug.	17	Paulini Patriarchæ Aquilej. 9. Febr.	6
Euphemie Sociar. Mart. 3. Sept.	18	Pelagii Mart. 9. Sept.	19
Felices a Cantalicio Conf. 21. Maji.	8	Pretiosissimi Sang. D. N. J. C. FERIA VI. post Dom. IV. Quadr.	6
Felices et Fortunati Mart. 16. Jun.	10	Processi et Martiniani Mart. 3. Jul.	12
Felices, Lari et Dionysii Mart. 20. Martii.	7	Prosdocimi, Ep. Conf. 7. Nov.	23
Felicitatis Mart. 23. Nov.	24	Proti Mart. 18. Jun.	12
Feria VI. in Parasceve post Orationem pro Papa.	25	Quatuor Coronatorum Mart. 28. Nov.	25
Fidelis a Sigmaringa Mart. 27. April.	7	Quinque Vulnerum D. N. J. C. FERIA VI. post Dom. III. Quadr.	6
Fidei Virg. Mart. 22. Oct.	22	Quirini Episc. Mart. 3. Jun.	10
Gabriëlis, Archangeli, 24. Mart.	7	Raphaëlis, Archangeli. 24. Oct.	22
Gerardi Episc. Mart. 26. Sept.	21	Rochi, Conf. 16. Aug.	16
Gereonis et Sociorum. 10. Oct.	21	Rosalie Virg. 4. Sept.	19
Hermagoræ et Fortunati, Diac. Mart. Dioc. Gorit. Patron. 12. Julii.	13	Septem Dormientium Mart. 13. Sept.	21
— — Commem. Vigiliæ. 11. Julii.	12	Septem Fund. Ord. Serv. B. M. V. 11. Febr.	6
— — Octavæ. 19. Jul.	15	Sigismundi Regis Mart. 11. Maji.	7
— — Translatio. 27. Aug.	17	Sindonis D. N. J. C. FERIA VI. p. Dom. II. Quadrag.	6
Hermogenis et Fortunati Mart. 6. Sept.	19	Spineæ Coronæ D. N. J. C. FERIA VI. post Cineres.	6
Hilarii Episc. et Tatiani Diac. Mm. S. Metrop. Eccl. et Civitatis Goritiensis Patron. 16. Martii.	7	Syri Episc. et Conf. 9. Dec.	3
Hippolyti et Cassiani Mart. 13. Aug.	15	Theodori Mart. 29. Nov.	25
Inventionis Manus Dexteræ S. Stephani, Reg. 30. Maji.	8	Titiani Episc. et Conf. 16. Jan.	3
Julianæ Virg. Mart. 16. Febr.	6	Titi Episc. Conf. 20. Febr.	6
Juliani, Mart. 12. Sept.	21	Udalrici Episc. Conf. 4. Jul.	12
Juliani de Beno Albergo Conf. 19. Febr.	6	Ursulæ et Soc. Virg. Mart. 21. Oct.	22
		Valeriani Episc. Aquilej. Conf. 27. Nov.	25
		Victoris et Coronæ, Mart. 14. Maji.	8
		Vigilii Ep. Mart. 27. Jun.	12
		Wolfgangi, Ep. Conf. 31. Oct.	22
		Zoili Conf. 14. Febr.	6
		Preces publicæ.	26

Die 27 Maji.

S. Bedæ Venerabilis Conf. et Eccl. Doct.

Missæ In medio: præter Orationem sequentem.

Oratio.

Deus qui Ecclesiam tuam beati Bedæ Confessoris tui atque Doctoris eruditione clarificas: concede propitius famulis tuis; ejus semper illustrari sapientia et meritis adjuvari. Per Dominum.

